

Idea objectiva, est forma quaedam, seu exemplar, in mente artificis existens, ad cuius imitationem extra se operatur. . . . *Idea formalis*, est cognitio formae seu exemplaris, quod artifex sibi in suo opere exprimentum proponit.

Quaeres 18. *An sint in Deo ideae?*

Resp. Affirm. Nam Deus operatur sciens et volens; ergo habet ideas rerum omnium, quas producit conformes illis ideis.

Quaeres 19. *An plures sint in Deo ideae?*

Resp. 1. Est unica idea formalis; quia in Deo unica est rerum omnium cognitio.

Resp. 2. In Deo sunt plures ideae activae; nam idea objectiva, est forma in mente divina existens, ad quam Deus respiciens, omnia entia producit, vel producere potest; sed illa entia sunt plura; ergo et illorum ideae.

CAPUT VIII.

De voluntate Dei.

Quaeres 1. *An sit in Deo voluntas?*

Resp. Affirm. Nam Christus Matth. 6. dicit Patri *Fiat voluntas tua.* Ratio est, quia voluntas est perfectio simpliciter simplex.

Quaeres 2. *Quotuplex est in Deo voluntas?*

Resp. A parte rei unica est, quemadmodum est unica natura; a qua est indistincta; tamen secundum nostrum concipiendi modum, multiplex est.

Quaeres 3. *Quomodo voluntas Dei dividitur nostro concipiendi modo?*

Resp. Dividitur in voluntatem beneplaciti, et voluntatem signi.

Quaeres 4. *Quid sit voluntas beneplaciti?*

Resp. Est ipsa Dei volitio qua aliquid vult, vel non vult. Haec est proprie dicta voluntas, Deo intrinseca.

Quaeres 5. *Quid sit voluntas signi?*

Resp. Est signum quoddam externum declarans Dei volitionem, sic mandata Dei dicuntur voluntas Dei; Matth. 12. *Qui facit voluntatem Patris mei, ipse intrabit in regnum coelorum*, id est, qui servat mandata Dei, quae sunt signa voluntatis beneplaciti Dei. Haec voluntas signi est metaphorica Deoque extrinseca.

Quaeres 6. *Quotuplex est voluntas signi?*

Resp. Quintuplex: scilicet praeceptum, prohibitio, permissio, consilium, et operatio, juxta hunc versum:

Praecipit, et prohibet, permittit, consulit, implet.

Quaeres 7. *Quomodo dividitur voluntas beneplaciti?*

Resp. Dividitur 1. In antecedentem et consequentem.

Voluntas antecedens, est ea, qua Deus aliquid vult secundum se spectatum, abstrahendo a circumstantiis quae illi adjungi possunt. Haec voluntate vult omnes homines salvos fieri, quia hoc in se bonum est.

Voluntas consequens, est ea, qua Deus aliquid vult simpliciter et absolute, spectatis omnibus circumstantiis particularibus. Haec voluntate vult hominem in impoenitentia finali morientem damnari.

Dividitur 2. In absolutam et conditionatam.

Voluntas absoluta, est ea, quae a nulla conditione pendet, talis est voluntas de mundo condendo. Haec semper est efficax.

Voluntas conditionata, est ea, quae ex aliqua conditione pendet. Unde non semper est efficax, quia non semper ponitur conditio requisita.

Quaeres 8. *Utrum voluntas Dei sit causa rerum imperans?*

Resp. Affirm. Nam Psalm. 113. *Omnia quaecumque voluit fecit.* Et Ephes. 1. *Operatur omnia secundum consilium voluntatis suae.*

Quaeres 9. *Utrum voluntas Dei semper impleatur?*

Resp. 1. Voluntas signi non semper impletur, nam multi contemnunt Dei consilia, et ejus mandatis non obediunt. Prov. 1. *Desperistis omne consilium meum, et increpationes meas neglexistis.*

Resp. 2. Voluntas Dei antecedens non semper impletur: nam hac voluntate *vult omnes homines salvos fieri.* 1. ad Tim. 2; sed. non omnes salvantur, quia conditionem quae a Deo simul et a libera hominis cooperatione pendet, homines ex sua parte non implent; ergo, &c.

Resp. 3. Voluntas Dei consequens semper impletur; de ea nimirum intelligi debent haec Psal. 123. verba: *Omnia quaecumque voluit Dominus, fecit;* necnon et ista ipsius Dei apud Isaiam 46. *Omnis voluntas mea fiet.*

Objicies: Non potest conciliari humana libertas cum absoluta Dei voluntate circa liberas nostras actiones; ergo.

Resp. Nego ant. Quia voluntas Dei absoluta circa liberas hominis actiones, supponit liberam hominis determinationem a Deo conditionate praevisam: qua prae-supposita, Deus pro suo beneplacito, absolute decernit hanc actionem, quare vocatur *voluntas consequens.*

Quaeres 10. *Utrum voluntas Dei sit libera?*

Resp. Est vere et proprie libera circa creaturas: nam Psalm. 113. *Omnia quaecumque voluit Dominus, fecit.* Et Psal. 93 *Deus ultionum libere egit.* Ratio est, quia libertas est perfectio simpliciter simplex.

Objicies: Vera libertas dicit indifferentiam ad agendum vel non agendum; atqui Deus non habet hanc indifferentiam; ergo.

Prob. min. Deus semper fuit determinatus ad agendum; ergo non est indifferens ad agendum vel non agendum.

Resp. Dist. conseq. Non est indifferens indifferentia passiva, qua possit novum actum immanentem producere ac in se recipere; item non est indifferens indifferentia suspensionis, qua, anceps consilii, quid agat, non-

dum decreverit, *conc.* non est indifferens indifferentia activa, quae est vis ad agendum vel non agendum, ei competens, qui ad certum quid agendum non alligatur, *nego.*

Quaeres 11. *In quo posita sit libertas divinae voluntatis?*

Resp. Posita est in entitate divinae voluntatis; quatenus pro nutu intrinsece connotat objecta extra se posita; nam ad libertatem Dei duo requiruntur: 1. Ut sit perfectio quaedam Deo intrinseca: 2. Ut dicat indifferentiam activam; atqui in nostra sententia, 1. Actus Dei liber, est perfectio Deo intrinseca, cum sit ipsamet divina voluntas; 2. Dicit indifferentiam activam, cum ita connotet creaturas, ad quas terminatur, ut potuerit illas non connotare: ergo.

Objicies: Idem non potest esse necessarium simul et liberum; sed actus divinae voluntatis est necessarius; ergo.

Resp. Dist. maj. Sub eodem respectu, *conc.* sub diverso, *nego.* Porro actus divinae voluntatis est necessarius quoad entitatem, liber vero quoad terminationem ad creaturas.

Quaeres 12. *Utrum Deus sit omnipotens?*

Resp. Affirm. Eccli. 1. *Deus est altissimus, creator, omnipotens.* Et, Matth. 4. Christus dicit: *Pater, omnia tibi possibilia sunt.* Ratio est, quia Deus est infinitus; ergo habet infinitam virtutem; atqui infinita virtus idem est ac omnipotentia; ergo.

Objicies: Deus non potest facere alia ab eis quae actu vult facere et facit; ergo.

Resp. Dist. ant. De potentia ordinata, *conc.* de potentia absoluta, *nego.* Potentia ordinata spectatur cum decreto, vi cujus non potest facere, nisi quae statuit, cum nihil possit fieri sine decreto. Potentia absoluta spectatur seorsim a decreto; per hanc potest facere quidquid non implicat contradictionem.

Quaeres 13. *Quodnam est objectum divinae voluntatis?*

Resp. Objectum *primarium*, est Deus ipse, quia est summum bonum, et ratio volendi caetera, juxta illud Prov. 16. *Universa propter semetipsum operatus est Dominus*... Objectum *secundarium*, sunt creaturae, tum in aliqua temporis differentia existentes, tum mere possibles; quia Deus vult id omne quod habet rationem boni; atqui creaturae in aliqua temporis differentia existentes, habent bonitatem actualem participatam; possibles vero habent bonitatem possibilem; ergo Deus illas vult et amat; nam, *Deus vult... ea quae sunt, vel possunt esse bona*, ait D. Thom. lib. 5. contra gentes, cap. 84.

Quaeres 14. *Utrum Deus amet necessario?*

Resp. 1. Amat seipsum necessario, quia est summum bonum, clare et intuitive visum... 2. Amat creaturas possibles etiam necessario, si considerentur entitative, quia sic non distinguuntur a potentia divina... 3. Creaturas in aliqua temporis differentia existentes amat libere, quia non sunt summum bonum.

Quaeres 15. *Quo amore Deus seipsum amet?*

Resp. Amore *complacentiae*, quia necessario sibi complacet in sua bonitate; non vero amore *benevolentiae*, quia nihil suae perfectioni addit per suam bonitatem.

Quaeres 16. *Quo amore Deus amet creaturas in aliqua temporis differentia existentes?*

Resp. Amat amore *benevolentiae* et *efficaci*, quia illis libere vult et confert aliquod bonum, nempe esse et conservari.

Quaeres 17. *Quo amore amat creaturas possibles?*

Resp. Amore *complacentiae* et *inefficaci*, quia sibi complacendo in earum possibilitate, nihil statuit circa earum existentiam.

Objicies: Possibilia sunt pure nihil; atqui Deus non potest amare pure nihil; ergo.

Resp. Dist. maj. Sunt pure nihil, in se, *conc.* in potentia Dei, in qua continentur, et a qua non distinguun-

tur, *nego*. Ideo quando Deus amat possibilia, amat suam omnipotentiam, in qua sibi complacere concipitur.

Quaeres 18. *Utrum Deus velit mala naturae et poenae?*

Resp. Non ea vult *directe et per se* ratione ipsorum, quia qua talia non habent rationem boni, sed ea vult *indirecte et per accidens*, nimirum ratione alterius quod *directe* vult. Sic quia vult *directe* ut servetur naturae ordo, vult *indirecte* defectus naturae qui cum illo ordine conjunguntur; sic quia vult justitiam suam servari, vult irrogationem poenae, sine qua non potest justitia servari: hoc sensu Eccli. 3. dicitur: *Bona et mala, vita et mors, a Deo sunt*.

Quaeres 19. *Utrum Deus velit mala culpae?*

Resp. Nullo modo vult, juxta illud Psal. 5. *Non Deus volens iniquitatem tu es*. Unde Conc. Trid. *sess.* 6. *Can.* 6. definit. *Si quis dixerit, non esse in potestate hominis vias suas malas facere, sed mala opera, ita ut bona Deum operari, non permissive solum... anathema sit.*

Objicies: Exodi 9. dicitur: *Induravitque Dominus cor Pharaonis*; atqui indurare cor hominis, est velle ut peccet; ergo.

Resp. Dist. min. Indurare positive, infundendo malitiam, *conc.* negative, subrahendo nimirum gratiam specialem et uberiolem propter peccata praeterita, qua subtracta, homo frequenter cadit, nec resurgit, *nego*. Sic autem tantummodo Deus indurat.

APPENDIX.

De voluntate Dei circa salutem omnium, et morte Christi pro omnium salute.

Has duas quaestiones jungimus, quia inter se ita connexae sunt, ut separari a se invicem nullatenus possint. Circa quas

1. Non est quaestio, utrum Deus velit salvare omnes homines voluntate signi, aut voluntate simplicis complacentiae otiosae et sterilis. . . . 2. Utrum Christus, moriendo, sufficiens pretium ad salvandos omnes homines obtulerit; id enim fatentur omnes haeretici. Sed quaestio est, 1. utrum Deus antequam, secundum nostrum concipiendi modum, praeviderit merita aut demerita hominum, omnes salvos fieri velit voluntate sincera et activa, conditionata tamen, nempe, modo in gratia moriantur. . . . 2. Utrum Christus, voluntate conditionata et antecedente, voluerit omnibus et singulis hominibus ad salutem prodesse suum sanguinem, illumque in hunc finem Deo Patri obtulerit. Unde.

Quaeres 1. *Utrum alios salvos fieri velit, quam praedestinos?*

Resp. Vult, et quidem vera et sincera voluntate beneplaciti, ut fides docet. Nam. *Joan.* 3. dicitur: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam.* Atqui tamen non omnes, qui credunt in Christum, sunt praedestinati; ergo. . . . 2. Fuit in Deo vera et sincera voluntas salvandi Apostolos; *Haec est voluntas ejus qui misit me Patris,* ait Christus, *Joan.* 6. *ut omne quod dedit mihi, non perdam ex eo, sed resuscitem illud in novissimo die.* Atqui ta-

men Judas, qui erat unus ex eis non erat praedestinitus: *Quos dedisti mihi, custodiri,* ait Christus, *Joan.* 17. *et nemo ex eis perit, nisi filius perditionis;* ergo.

Quaeres 2. *Utrum Deus velit sincere salutem omnium omnino hominum, nullo dempto?*

Resp. Affirm. Nam 1. *Apostolus,* 2. *ad Tim.* 2. ait: *Deus vult omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire.* Atqui hanc Dei voluntatem extendi ad omnes et singulos homines, probant, tum votum *Apostoli* monentis ut *fiant orationes pro omnibus hominibus, pro Regibus, et omnibus qui in sublimitate sunt,* licet fuerint infideles, et in infidelitate obierint; tum ratio quam illius voluntatis reddit, quia nempe, *Unus est Deus, unus mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus;* ergo sicut *Apostolus* movet fieri orationem pro omnibus hominibus; sicut *unus est Deus* omnium hominum nullo excepto, ita et omnium salvator est et redemptor: ita et vult omnes omnino et singulos homines salvos fieri. *Decretorium* est illud testimonium; quare *C. Carisiacum* definit: *Deus omnipotens omnes homines, sine exceptione, vult salvos fieri, licet non omnes salventur. Quod autem quidam salvantur, salvantis est donum: quod autem quidam pereunt; pereuntium est meritum.*

Objicies: Haec *Apost.* verba, *Deus vult omnes salvos fieri,* significant tantum voluntatem signi; ergo Deus non vult sincere omnes homines salvos fieri.

Resp. Nego anti. Tum quia illa verba in sensu proprio significant voluntatem beneplaciti; tum quia Deus, vi illius voluntatis, destinavit omnibus redemptorem, *Proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum;* omnibusque et singulis praeparat aut confert media salutis aeternae consequendae vere sufficientia, ut fuse probavimus *Tractatu III. de gratia,* cap. 3.

Instab. Div. Thomas asserit quod voluntas antecedens magis potest dici velleitas, quam absoluta voluntas; atqui velleitas non est proprie in Deo; ergo.

Resp. Dist. ant. Potest dici velleitas comparate ad voluntatem absolutam, quae semper est efficax, conc. absolute et in se, quasi esset in Deo mera circa salutem reprobatorum complacentia, nego. Ita se explicat hic D. Thom. lib. contra gentes, cap. 159. *Deus, quantum est in se, inquit, paratus est omnibus gratiam dare, vult enim omnes homines salvos fieri.* Ergo, ex Div. Thoma, illa voluntas non est otiosa et sterilis; ergo est sincera voluntas, licet inefficax.

Quaeres 3. *Utrum Christus mortuus sit pro salute duntaxat praedestinatorum?*

Resp. Negat. Id patet ex SS. Pontificibus Innocent. X. et Alex. VII. qui, Constitutione ab universa Ecclesia recepta hanc prop. Jansenii: *Sempelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse, damnarunt, tanquam falsam, temerariam, scandalosam, et intellectam eo sensu, ut Christus pro salute duntaxat praedestinatorum mortuus sit: damnarunt, tanquam impiam, blasphemam, contumeliosam, divinae pietati derogantem, et haeticam;* ergo haec ejus contradictoria: *Christus non est mortuus pro solorum praedestinatorum salute,* est dogma fidei.

Quaeres 4. *Utrum Christus sit mortuus pro omnibus omnino hominibus, nullo excepto?*

Resp. Affirm. Nam id aperte probat Apostolus, 2. Cor. 5. dicens: *Si unus pro omnibus mortuus est; ergo omnes mortui sunt, et pro omnibus mortuus est, Christus.* Decretorium est illud testimonium, in quo probat Apostolus omnes et singulos in Adam fuisse mortuos, ex eo quod Christus pro omnibus sit mortuus; nulla autem esset consequentia, si vel unus esset, pro quo Christus non esset mortuus. Unde Con-

cilium Carisiacum, cap. 4. definit: *Nullus est, fuit, vel erit homo, pro quo passus non fuerit Christus, licet non omnes passionis ejus mysterio redimantur;* ergo. Et D. August. lib. 20. de Civ. Dei, cap. 6. ait: *Omnes itaque mortui sunt in peccatis; nullo prorsus excepto. . . . et pro omnibus mortuis, vivus mortuus est unus.*

Objicies: Christus, *Matth.* 20. dicit se venisse dare animam suam, redemptionem pro multis; ergo non pro omnibus.

Resp. Nego conseq. Nam vox multis supponit pro omnibus, unde Div. August. lib. 2. operis imperfecti, Juliano dicenti, omnes pro multis sumi, respondet, non repugnare omnibus multis, quia ipsi omnes, non pauci, sed multi sunt. Quo sensu Apost. Rom. 5. ait: *Si unius delicto multi mortui sunt,* ubi vox multi, evidenter sumitur pro voce omnes.

Inst. D. August. *Epist.* 169. ad Evodium, ait: *Non perit unus ex eis pro quibus mortuus est Christus;* ergo mortuus est pro solis praedestinis.

Resp. Dist. ant. Pro quibus mortuus est Christus voluntate absoluta et efficaci, conc. voluntate conditionata, antecedente, et generali, nego ant. porro D. August. loquitur de voluntate Christi efficaci; sicque intelligendi sunt omnes alii Patres, qui nobis objiciuntur.

CAPUT IX.

De justitia, misericordia, et providentia Dei.

Quaeres 1. *Utrum sit in Deo justitia commutativa?*

Resp. Negat. Nam ut ait D. Thom. q. 21. art. 1. *Cum omnia nostra ex Deo sint, nec quisquam quidpiam dederit, pro quo sibi a Deo retribuatur, jure in ipso justitia commutativa non est.*

Quaeres 2. *Utrum justitia distributiva in praemium bonorum et malorum vindictam, sit formaliter in Deo?*

Resp. Affirm. Nam Psalm. 10. *Justus Dominus, et justitias dilexit.* Ratio est, quia bonis praemium, et malis supplicium, pro ratione eorum meriti vel demeriti reddit.

Quaeres 3. *Utrum sit in Deo misericordia?*

Resp. Non est quatenus dicit tristitiam de miseria aliena: est autem quatenus significat voluntatem alienae miseriae subveniendi; haec enim voluntas est perfectio sine imperfectione.

Quaeres 4. *Quid sit providentia?*

Resp. Definitur: *Ratio ordinis rerum ad finem,* per media congrua.

Quaeres 5. *Utrum detur providentia?*

Resp. Affirm. Id enim asserit Scriptura Eccli. 6. *Æqualiter cura est illi de omnibus.* Et cap. 14. *Tua autem, Pater, providentia gubernat.* Ergo.

Objicies 1. Multa casu fiunt et fortuito. 2. Multa fiunt frustra in rerum natura. 3. Impii ut plurimum prospere agunt, justis econtra adversis premuntur: atqui haec cum providentiae existentia stare non possunt; ergo, &c.

Resp. ad 1. Dist. ant. Multa casu fiunt respectu nostri, qui ignoramus causas multorum effectuum, et finem ad quem ex intentione Dei diriguntur, *conc.* respectu Dei, *nego min.*

Resp. ad 2. dist. ant. Multa fiunt frustra, respective ad causas particulares, *conc.* respective ad provisorum generalem, *nego ant.* Illa enim quae frustra fieri videntur, ad decorem universi ordinantur.

Resp. ad 3. nego conseq. Nam in hoc et malis providet Deus et bonis; malis quidem, ut eos adducat ad poenitentiam, et virtutes morales, si quae sint in eis, compenset: bonis vero, ut expientur in hac vita peccata eorum: ut virtus eorum probetur, exercea-

tur, et perficiatur; ut, praesentem vitam contemnentes, Deum ardentius quaerant: ut eorum merces au-geatur, &c.

Objicies 2. Si Deus omnibus provideat, actus creaturae etiam liberae, a Deo provisi, erunt necessarii; nan sunt necessario: ergo &c.

Resp. Nego ant. Cum enim providentia disponat omnia suaviter, res necessarias necessario, res vero liberas libero modo regit et gubernat: equidem quae sunt a Deo provisa fient necessario necessitate hypothetica quae nullatenus officit libertati, non vero necessitate absoluta.

Quaeres 6. *Utrum providentia semper assequatur finem rerum quae ei subsunt?*

Resp. Semper assequitur suum finem generalem, quae est manifestatio bonitatis, aliorumque attributorum divinorum; at non semper assequitur suum finem specialem, sic homo non semper assequitur beatitudinem, quae est finis specialis ad quem ordinatur a divina providentia. Ratio est, quia Deus finem generalem vult efficaciter; non autem semper sic vult finem specialem.

CAPUT X.

De Praedestinatione.

Quaeres 1. *Quot modis spectari potest praedestinatio?*

Resp. Potest sumi duobus modis. 1. *Incomplete,* pro voluntate Dei absoluta et efficaci dandi gratiam nude et solitarie sumptam, vel gloriam item nude et solitarie sumptam. 2. *Complete,* pro voluntate divina absoluta, et efficaci dandi gratiam simul et gloriam; seu quatenus non tantum respicit gloriam aeternam;